
Mathematica quædam.




2.280



Mathematica quædam et Medica

DVORVM SVPERIORVM PLANETARVM ♄ ET ♃.

Maximus congressus in signo igneo
Sagittarij celebratus
Anno 1603.
Et iuxta verum, et inculpatum sensum
expositus.

In quo decreta ipsi⁹ ad solam pertinere
Gallorum Monarchiã
his tẽporib⁹ inchoatã,
Et deinceps propagandã ab ipsorũ
Inuictiss.° Rege
LVDOVICO XIII
Cognomento Iusto
Ostenditur.



Tàm illustria, tamq. præclara, uixq. humanam fidem capientia de potentissimo, iustissimoq. Galliarum rege, eiusq. imperio narranda mihi sese obuia fiunt, ut si lectorem in rebus coelestibus explorandis minus uersatum nactus fortasse ero, adulationis crimen, à quo ut uita meæ, et doctrinæ institutum testari possunt semper abhorrui, uix digne effugere posse uidear. Quia tamen nedum familiarium, necessariorumq. defatigor precibus, sed etiam præstantissimorum uirorum aucto= ritate compellor, ut meæ pollicitationis, qua imprudens iampri= dem obstrictus fueram debitum persoluam, hæc pauca in unũ conferre placuit, à coelestium studiosis tantum percurrenda, quæ ut eruditorum correctionem, limamq. desiderant, ita plebi non sunt euulganda, immo silentio contegenda, ab eorq.
20. Bibl. lan. Gen. Par. 1954.
aspectu submouenda, qui erga Gallorum celeberrimum nomen male animati reperiuntur. Interim si sincerum, et candidum quemquam fortuna obtulerit, qui à uetere consuetudine tamẽ modo præteritis consequentia credendi se temperet, atq. ad ali= qua futura hactenus insueta præsentienda animum acco= modauerit, is si hosce meos qualescunq. labores susceptos non omni ex parte probabit, meæ tamen certe bonæ uolunta= tis, et fidelis, argumentum minimè contemnenda putabit. Quæ cum ita sint, ut rem ipsam aggrediar, qui ex astris aliquid perspici posse euenturum, saltem probabili quadam coniec= tura fatentur [nam certam, et definitam scientiam subiectum rei argumentum prorsus respuit] id, uel ex uniuersalioribus

Quanam ratione aliquid ex astris diuinari possit, coniectura quadam.

constitutionibus superior. nullisq. interitui expositorum corporum, uel ex priuatorum genesi haberi, omnino cre=dere coguntur. Cum uero natiuitatum uocabulum audis; ne quaeso puta, me uelle arbitrio, uoluntatisq. fati leges impone=re, sed propensionem quandam inuitantem potius, quam cogentē tibi, cui reluctari poteris quandocunq. placuerit, tantummodo sum=mo digito demonstrare instituisse. Neq. tamen temerè, et nulla ratione ductum commentitia uenditare, sed naturalibus mix=um argumentis, illa quae sapientissimus ab oraculo habitus Socrates uerisimilia in se ipso non est inficiatus animo tuo discutienda offerre. Et quid est, quod quidam morum grauitate, et arcanorum cognitione Socrate inferiores, ut quasi pere=grina sapientes, et à communi sensu disiuncta profitentes, caeteris admirabiliores esse censeantur, hominibus denegent quod natura animantibus quibusdam elargita est. nunquid à uulturibus, à ciconijs, alcionibus, à ranisdeniq. ipsis, inter caetera animalia praestantissimus homo, in arte praedicendi superabitur, ut quod illa naturae uiribus praesentiunt, ipse hac diuinissima cognitione destitutus, ab eisdem discere sit neces=se? Quod si Physionomiae tantum deferendum putant, ut eam tanquam germen naturalis scientiae suscipiant et uenerentur, cum tamen remotioribus à ueritate utatur ostensionibus, quam Astro=rum contemplatrix, atq. operum peruestigatrix sapientia, cur igi=tur hanc tantopere auersantur, illi suum locum, et honorem conseruant. Vtraq. autem si rectè, et absq. superstitiosis colatur

observationibus

in quatuor elementa, et crases ab eisdem profectas suarum asser=
tionum causas, principiaq. reicit, atq. hinc efficitur, ut astrorum
de iudicijs facultas coelestis Physionomia, et quæ nunc passim
nuncupatur Physionomia, Astrologia quædam humani corporis
commutata ratione dici ualeat. Et quidem in Astrologica facul=
tate id contingere, ut opinor, nemo hactenus perfecte docere est
aggressus, tamen si per eos qui sacris præsunt liceret, idem quoq.
planè in eadem accidere, mundo communicaremus.

Vt autem ad propositi orbem redeamus, generales constituti=
ones, quibus uariè afficitur hic sublunaris orbis, permutaturq. uel
à luminarium pendent congressibus, uel à duorum superiorum pla=
netarum Synodo, uel ab inerrantium tardissimo incessu; ut interim
errorum deuiationes, quibus in suis paruis feruntur orbibus, absi=
dumq. ab una signiferi regione in aliam, transitiones sileam; quibus
omnibus eccentricitatis [liceat hoc peruulgato quamuis minus lati=
no apud Astronomos uti nomine] diuersitatem longissimo temporū
interuallo recurrentem adiungere ualemus. Et quidem præter
luminarium coitionem eclypticam, Ptolæmeus Astronomorū princeps
in hijs, quos habemus libris de astrorum iudicijs, cæterorū nullam
prorsus habuit mentionem, ob hanc, ut reor causam; quod uix un=
quam fieri possit, ut duorum superiorum coniunctionis momentum,
omni ex parte accuratè animaduerti possit. ita enim lentè ferun=
tur, ut omnium obseruationum diligentiam, et curam superent, pro=
indeq. efficitur, ut exorientis coeli statum, et conditionem, dum si=
mul congrediuntur, nos ignorare necesse sit. Id uero multo euiden=
tius

Constitutiones generales quomodo cognoscantur.

Ptolæmeus nō loquitur de magnis congressib. et ...

in fixarum stellarum periodis, uel mutationibus uestigandis, eue-
nire profecto credendum erit. Cum igitur tanta rerum obscuritate,
et difficultate doctissimus uir prohiberetur, faciliorem, sensibusq;
magis expositam uiam, quæ à Solis, et lunæ deliquijs petitur sectari
maluit, quorum opera biennio uel triennio ad summum producā-
tur, posterioribus aliquid præterea explorandi, ex diuturni tem-
poris obseruationibus locum relinquens. Tentarunt quidem Arabes,
qui in deploratissimis optimarum literarum deuastationibus aliquid
boni è Philosophiæ, et Mathematicarum ruinis subripuere, non-
nulla de magnis coniunctionibus posteritati mandare, quo in opere
plurimum Albumazarus laborauit; sed, ut erat tunc illorum ho-
minum ingenium, omnia fere, ad diuinationes superstitiosas, transtu-
lit, et ablegauit. Posteriores uero, qui rectius sapere, et intelligere
uisi sunt, repetitis ex temporum cronologijs obseruationibus, quid
huiusmodi Astrorum congressiones mundo attulissent, non obscurè
perceperunt; in eamq; tandem deuenere sententiam, ut imperiorum
permutationes, et quidquid eximij in orbe, ipsa natura duce con-
tingeret, ipsis acceptum haberetur. Nec herclè absq; optima ratione:
nam si uis agendi, et imperandi, intelligendiq; à calore naturali
quodamodo adiuuatur, licet à ratione potissimum tanquam à prin-
cipe facultate, quæ à corporibus coelestibus omnino immunis est
proficiscatur; Synodusq; superiorum in ~~igneis~~ igneis dodecatemo-
rijs habita in cunctis, et in hominibus præcipuè calorem, uimq;
masculam exsuscitet, consequiens profecto est, ut ex illorū mutuo
amplexu, mortales ad imperia noua, resq; maximas auspicandas
inuitentur

Arabes loquuntur de magnis coniunctionibus.

Effectus magnarū coniunctionum.

inuitentur, quod Marti planetæ intemperatissimo minimè conceditur [intemperata enim diu permanere nequeunt] sed nec Soli, quia licet sit summus orbium supernorum, astrorumq; moderator, uniuersaq; illius calore uitam accipiant, foueantur, omnibusq; numeris absoluantur, cum tamen uelocius quam par sit cieatur, imperijs creandis, rebusq; maximis incipiendis, nisi superiorum præsidijs suffultus minus idoneus reputatur. Serunt igitur, ut ita dicam imperia, et principatus Saturnus, et Jupiter, dum simul ignea perlustrant signa, quæ postea Sol sua luce, et calore, accedentibus deliquijs, [nam et deliquia bona interdum ingentia conferunt] colit, atq; ad summum amplitudinis fastigium usq; perducit. Conferunt et quæ salutaria habentur sidera aliquid sua beneficentia, et largitate, itaut quasi quodam tributo, potentia et uiribus eadem augere, et ad meliora promouere studeant. Sic Assyriorum, Romanorumq; Monarchiæ, quæ cæteris imperijs regnisq; rerum magnitudine et rerum gestarum laude, triumphis, et palmis antecessere, sub horum superiorum conuentu in signis igneis ortum duxere. Cumq; repetito periodo, eadem maxima synodus, ad initium Arietis capitis omnium signorum, et ducis trigoni ignei restitueretur, Gallis summam rerum concessit, Carolo Pipini filio à barbaris Italiam repurgante, et ob eam rem à Leone Pontifice uniuersiq; populi Romani acclamationibus ad imperij fasces euecto. Cumq; à Virgineo partu anno labente 1603 eadem coniunctio in Sagittario instaurata fuerit, iamq; totius Galliæ imperium in

Quomodo Saturnus, et Jupiter operentur in maximis congressib;

Monarchiæ et imperia oriuntur sub maximis congressibus.

Monarchia imperij Gallorum sub maxima ☌ ♄ et ♃ cœpit in signo igneo.

Valesiorum familia finem acceperit, ad Borboniosq;, qui ab eodem Carolo ex amplissima Regis Ludouici Noni stirpe primordia trahunt traductum fuerit, atq; in dies imperij eiusdem felicissimé et auspicatissimé fines dilatentur, quin idem breui quoq; ad sũmum peruenturum, sub huius iustissimi LVDOVICI XIII principatu, atq; æquissimæ, et pacatissimæ monarchiæ formam adepturum sit, apud me nunquã dubitatum fuit.

coniunctio maxima ♄ et ♃ facta 1603 denotat Monarchiã Gallorum et cæt.

Si enim euentus horum temporum, cum superioribus Caroli ita consentiunt, ut utrobiq; pares quoq; astrorum uires concurrunt, ut ijdem, uel similes propemodum effectus oriantur, mihi, alijsq; inculpaté iudicantibus apprimé fit uerisimile. Nam si Coeli facies, quæ in ortu Regis effulsit, quam mihi dũ in uiuis ageret, non obscuri nominis Genethliacus Alfonsus Zobolus Regiensis communicauit, á ueritate non discrepat, signum idem é finitore orientali, in ea emergit, quod in momẽto superius expositæ Synodi maximæ, fastigium Coeli possidebat. ut ex themate ab eodem fabricato ad id temporis, in sua Asicometologia liquidó colligitur. Quamuis enim ualde operosũ sit, horam congressus duorum superiorũ planetarũ internoscere, quo tamen puncto secundum lineam per utrumq; medinium actam coierint, scire omnino non erit impossibile. Locus uero Lunæ in genesi Regia, est omnino idem cum horoscopo illius coniunctionis, et Mars in ipsa cum gradu Solis in hac commutatur, qui et in utroq; themate exagono radio eandem partem intuetur. Jupiter etiam in regis figura, una cum Sole, amicé in eadem

eadem maxima coniunctione aspicit, amboq; fortunato Martem fouent intuitu, Lunaq; Horoscopo praesidens ad satis felicem radium Veneris decimi loci reginam properat: Merturiusq; ex quarto domicilio in sua repertus sede Sortem in angulo primae collocatam, quae et Regi hostium suorum perniciem, et de illis semper victoriam spondet, radijs illustrat fauorabilibus, ex quibus omnibus, non obscure habetur, Regis figuram maximam conuenientiam cum Coeli facie tempore illius decantatissimae Synodi sibi uendicare; atq; in ea illud in primis admiror, horoscopum Regium, honorum, et imperij sedem tenere, ex quo aliquando futurum, ut rerum omnium summa auctoritas illi cum aeterna sui nominis gloria deferatur, non iniuria suspicor.

Decreta maximae coniunctionis igneae postremo celebratae non afficiunt hispanos, et cur.

Nec mihi objiciatur, cum in primioribus partibus Sagittarij is superiorum congressus celebratus fuerit, huiusmodi imperij gloriam ad Hispanos, qui teste Ptolemeo, a Sagittario reguntur, pertinere, quia ne in hanc descendam sententiam, permulta, eaq; ualidissima obstant argumenta. Quorum illud primum est, Hispanos quidem Sagittario subdi, Iouemq; dominatorem agnoscere, sed Vespertinum, nullaq; Martis accedente familiaritate, sine qua, nec regna uiriliter administrantur, nec feliciter bella geruntur, quae omnia in omni monarchia recte instituta requiruntur. At in figura maximae huius Sinodi, ambo superiores, matutini sunt, nihil igitur cum Hispanis commune possident, qui Vespertinum Iouem, sine ullo Martis consortio habere

noscuntur. Et quamuis Borrolybico trigono, qui toti Europæ presi=
det, ut est Ptolemei sententia, cum Sole, Jupiter Vespertinus accomo=
detur, nec Martem adsciscat, gentes tamen illius trigoni, quę ad impe=
ria administranda, hactenus delectæ fuere, illæ solumodo sunt,
quæ Leoni, uel Arieti committuntur, non Sagittario, quod huius=
modi signum, quamuis iustitiæ, et æquitatis custos habeatur, po=
pulosq. ad huiusmodi uirtutes inuitet, nisi obsisteret uis malefica
illius fixæ, quæ cor scorpij nuncupatur, quæ in scorpionis olim
ultimis partibus uersabatur, Arabes, eu Mauritanos tantum afficie=
bat, nunc uero cum ad Sagittarium translata fuerit, Hispanos
inficit, eosq. fastu intollerabili tumidos, ad imperij iura unde=
quaq. arripienda, etiam cum aliorum iniuria, et uiolentia incitat,
non tamen ad monarchias, ut dixi, regendas habile censeri
debet. Adde nihil necesse esse, gentes quæ addicuntur signo in
quo contingit maximus congressus, imperio, monarchiaq. potiri; alio=
quin Galli, uel Germani, qui arieti subduntur, Augusti temporibus
quoquo uersum iusimperij terra, mariq. protulissent, cum in priori=
bus partibus arietis, nemine Astronomorum discrepante Saturnus, et
Jupiter illa tempestate conuenerint, sed illas gentes hoc priuilegio
esse donatas constat, quarum reges, uel principes genituras poten
tissimas, atq. cum præcipuis locis thematis maximæ coniunctio=
nis consentientes obtinent. Quod si quid tale, apud Hispanos in=
uenitur, ut illorum laudes augere possimus, in medium proferat.
nam ueritatem melius edocti sententiam quoq. mutare parati su=
mus. Nec alicui interim inuidiose dictum a me esse existimet,

Jouem

Jouem qui maior esse fortuna prædicatur, nullo modo posse
Monarchiæ conferre dignitatem, nam si mea pronuntiata vitè
expendantur, forsitan à ueritate minimè dissentire inuenientur.
Dixi, constanterq; assero, monarchias ex congressione duorũ superi
orum originem suam habere, si in signis igneis copulentur. Secundò
asserui, hæc maxima decreta eorũ, à Sole tanquam à communis=
simo planetarum moderatore explicari, et ad exitum, incrementũq;
perduci, nec absq; eiusdem suffragio quidquam quod durabile sit,
et uniuersè ad trigonum igneum attinens introduci posse. Hoc autem
luminare socium sibi copulat Jouem, qui maior fortuna etiam, et me=
ritò asseritur, cum monarchia maius et præstantius bonum, quã
reliqua regna, et minora imperia sibi præstituat. Tertio etiã
doceo loco, ex uniuersis populis, et nationibus, illas quæ subsunt
trigono igneo esse ad regendum, et imperandum proniores, et ap=
tiores; et ex his quæ cum signis ~~igneis~~ magis solarem natu=
ram referentibus familiaritatem habent, cum Sol, ut dixi in
explicandis magnarũ coniunctionum operibus, solus sit præci=
puus arbiter; suapte enim natura communiora, et præstanti=
ora curat, quod secus est in cæteris planetis, Luna excepta,
quæ tamen, ob eius fœmineam naturam, monarchiarũ nulla
ratione esse potest significatrix. Itali uero, et Galli, atq; Germa=
ni, cum illis signis consensionem habent, quæ Solis uim, ener=
giamq; redolent, nam Leo est domicilium ipsius Solis, et cæteris
signis ipsi coniunctior, ideoq; ipsum etiam cæteris illustriorẽ
monarchiam Romanis adduxisse non ignoramus, quòd

Supra expositorũ breuis connumeratio.

Itali et Galli, atq; Germani apti ad Monarchiã, Hispani nõ item.

Italia Leoni, Roma vero præcipuè subijciatur. Galli, et Germani Arietem in quo Sol trigonum, et altitudinem habet, septem scilicet dignitatis testimonia auctorem recognoscunt; ideoq. ad utrosq. summi imperij diversis temporibus iura peruenere. Hispani vero, cum Sagittario adijciantur, in quo Sol tres tantum dignitates ex trigono possidet, quomodo Italos, Gallos, uel Germanos, à monarchia summa auctoritate praecludere ualeant, non uideo. est quidem Jupiter regnorum quoq. significator, sed non præcipuus, neq. summas gladij potestates duraturas unquam præstabit, nisi Martij aliqua ratione permixtus. Sol vero ministerio Martis nunquam destituitur, ob Arietem, in quo multo maiora, quam ipse Mars obtinet iurisdictionis suffragia. Quocirca, et Romani belli uiribus orbem subegere, quod Sol gladio Martis, in cuius domicilio iura potiora conseruat semper usus fuerit. Jupiter omnibus signis igneis equidem fauet, sed tale domicilium nunquam habuit, ut ratione illius sibi monarchiam unquam assumpserit, cum Sagittarius cum Marte nullam habeat familiaritatem, uixq. in eo luminare maius tres dignitates retineat. Incassum igitur Hispani pro summa rerum adipiscenda laborant, cum ad eam consequendam minus habiles inueniantur: nisi fortasse sibi imperantis regis genesim potentissimam, cæterorumq. principum fortunam superantem nacti fuerint, quod quidem non facile illis concesserim, cum euetus promissionibus coelestibus adhuc minimè respondeant.

[Margin: ...perium in familia Austriaca ceptum sub aerea ♄ et ♃ ☌ maxima, finem consequetur sub hac ignea.]

Adeoq. autem quæ præmissi confirmationem, unum minimè silentio obuoluendum ex Cardano adducam. omnia scilicet

imperia

imperia et regna, quæ sub copula duorum superiorum in signis aeveis ortum habuere, in eorundem conuentu in signis igneis subuerti, et antiquari. Cum ergo in familia Austriaca imperij potestas sub synodo aerea Saturni et Iouis mundo apparuerit, ut tempore huius igneæ, tanquã eidem planè aduersanti [quòd aerea domicilia cum igneis diametro pugnent, ut norunt etiam Astronomiæ tirones] imminuatur, decrescatq; proximè futuris temporibus, consequens esset. Sed cum eccentricitatis Solaris permutatio magnam imperijs uicissitudinem, et quasi labem afferat, quandoquidem Romanorum imperium ad initium minimæ eccentricitatis cœpit, ut finem consequatur sub maxima, quæ nunc uiget, uel saltem ut aliò transferatur, uel ut nouam formam induat, omnes uno ore confitentur. Quod uero deleatur hisce nostris temporibus, minimè animo consequi possum, nam in proximo Antichristi tyrannis extimescenda esset. abolito enim Romanorum imperio, ut est D. Hieronymi, cæterorumq; sententia patrum unanimis, ecclesiam Dei Antichristiana rabies adorietur. Sub hac autem ignea superiorum coniunctione, huiusmodi infortunium, et communis Christianorũ calamitas [Deo, ut spero ita disponente] non eueniet. Cum et signa ignea, et regna quæ sub illorum auspicijs nascuntur, Europæ imperij ius magis tueantur, et orientalibus regionibus aduersentur, Iudæorumq; genti infestissima sint. Antichristum uero in Palestina regnaturum præcipuo quodam priuilegio, resq; Judæorum

Eccentricitas Solis causa abolitionis imperiorum.

Imperium Romanum sub hac ☌ non delebitur.

Antichristus sub hac ☌ ♃ et ♄ non apparebit.

Quid Imperii sub hac σ ignea sit passurum.

instauraturum, omnes uno ore clamant. Cum ergo de Romani extinctione imperij nostra hac tempestate minimè uerendũ sit, de translatione eiusdem ad alias mundi plagas potius esset ambigendum: quod et carmen Vincentij uatis uetustissimi subindicare uidetur, qui de aquila sermonem habens inquit. tunc gente in acra, cessabit unctio sacra. gentem porrò acram Germanorum nationem intelligo, quæ [bonis, et Deum uerentibus exceptis] acris, et rebellis contra Christum, tot hæreseon mõstra in orbe excitauit, suaq; nefaria animi perfidia summos Pontifices, tot calumnijs, et superiori ætate etiam bellis, et persequutionibus exagitauit, ut propterea quemadmodum Joachimus Abbas de Græcorum imperio uaticinatus fuit, ipsum propter inhobedientiam extinguendum, ut postea luctuoso fine maiores nostri perditum deplorarunt, ita [quòd Deus nunquam admittat] ne Germanorum summa potestas, ob impietatis scelus diu permissum, uel intestinis bellorũ incursionibus, uel Tracum armis, uel multarũ gentium conspiratione militari subuertatur, uel diuidatur maximoperè timeo. Quòd si aliò traducetur, ad Gallos certè, à quibus et profectum esse constat, ut spero, reuertetur imperij culmen.
Posset etiam idem Romanum imperium, in quam sententiam propensius feror, nouam formam deletis illis, qui eius abolitionem, ut suis commodis perfruantur nullo modo curant, consequi; atq; ita in præstantissima totius Reipublicæ christianæ prouincia, discussis undiq; impietatis tenebris, fulgentissimum ueritatis iubar exoriri.

Interim

Interim tamen te admonitum esse uolui, me aliquam monarchiã eiusdem potentiæ cum Romana hisce temporibus, uel circiter sperandam esse, nullo modo asserere. Cum .n. ex sacris constet literis, nullam aliam communem monarchiam, quæ toti imperitet orbi, præter Antichristianam esse metuendam, neq; ego aliam superinducere unquam in mente habui. Sed tamen aliquam summã potentiam, cum pari iustitia coniunctam pietati, ad totius christianæ Reipublicæ emolumentum, sublatis pacis, fideiq; hostibus, ut quam enixè cupio, aueoq;, ita Dei O. M. beneficentia excitandam esse confido. Quietis enim aliquantulum, ut ualentius contra ipsum Antichristum consurgere ualeret, suæ ecclesiæ Deus concedere posset, in qua Orientis abrogata impietate, hæreticorumq; profligatis tenebris, in mystico suo corpore Christus cũ triumphis, et palmis ex hostibus suis, lætum osanna excipiens, ut spero, ingredietur. Id quod si, ut confido, eueniet, quandiu duraturum sit, non ausim affirmare. Non enim temporis diuturnitate, et interuallo, maxima quæque quisq; metiri debet, sed rerum præclarissimè gestarum magnitudine, et gloria, quæ multorũ seculorum ætatem superant, tempora, quæ alij annos emergentes appellant, computare oportet; iuxta illud sapientis. Consumatus in breui expleuit tempora multa.

Qualis Monarchia in hac excitanda.

De duratione huius Monarchię.

Hæc autem præclarissima facinora Gallorum uirtuti et præstantiæ reseruantur, quibus et coelitus unctio sacra, ad ipsorum reges consecrandos descendit, ut ipos tanquam fortissimos athletas, contra Romanæ ecclesiæ hostes in arenã

Galli cum eorum Rego monarchia potiẽtur.

pugnaturos inungat. E quorum numero contra Antichristi postremum prænuntium pro fidei tutela, aliquis decerraturus in fine temporum expectatur. Quorum omnium rudimenta quædam uix à longe nunc aspicimus, et deinceps incrementa posteri secuturi, accessionesque dignissimas uenerabuntur. Id autem quod dixi, non esse quid commentitium, sed rationi antiquitatique consonum, ex hoc præcipuè ostendere possumus, quod quidam scriptor Gallus, in omni scientiarum genere uersatissimus, et in abditarum rerum cognitione ualde peritus, in libello, quem de signorum coelestium uera configuratione, et restitutione edidit Lutetiæ Parisiorum anno 1553 docet Gallorum originem supremam, à Gomero Gallo Noachi nepote, et filio Japheti descendere. Nam cum tres filios Noachus susceperit, Semum, Japhetum, et Chamum; et Semus, tanquam primogenitus iura sacerdotij sibi arripuerit, quæ in lege naturæ, uetere consuetudine primò natis deferebatur, iura uero temporarij dominij præcipuè in secundo genitum translata fuerint Japhetum, Chamo prorsus à bonorum hæreditate excluso, ita ut maiora quoque, quam Semo in ipso benedicendo dedisse uideatur Noachus, dum dixit, Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, efficiturque, ut diuina benedictio, patris ore deprompta, in successores illius deriuet, et transfundatur, et maximè in eos, qui à Japheto per successionem Gomeri, ium dominij sibi uendicantis stirpem habuisse constat, cuiusmodi Gallj, et Itali fuere, non Hispani, qui à quarto filio eiusdem Japheti

Gallorum, et Italorum origo, à Gomero Japheti filio primogenito.

Tubale

nascuntur. Antiquissimum autem apud omnes nationes fuit, ut iura dominij apud primogenitos, et ex eis propagatos hæredes præcipuè remanerent. Et hæc caussa fuit, cur de benedictionibus paternis antiquissimi patres tantoperè soliciti fuerint; quia illæ non solummodo illos, sed posteros quoque afficiebant. Hæc autem diuina benedictio, cum nunquam suis effectibus sit fraudanda, efficitur quoque iuramento, ut aliquis in Gallijs ortus, uel ab eis originē suam referens, totius temporariæ benedictionis, atque potestatis, et imperij in se transferat dignitatem. Nec est cur Italos hac in re, ut à Gomero profectos Gallis præferamus, quia licet, et ipsi auctorem suæ gentis Gomerum recognoscant, satissuperque dignitatis imperio cumulati fuere, quorum potestas non amplius, ac de cætero, ex sacris ut constat literis, est instauranda. Accedit Italorum gentem semine Chami sepius contaminatam fuisse, hostiliter olim Christi cultores persequutum esse, id quod de Gallis uerè affirmari nequit, nisi quatenus legibus, ac Romanorum præsidibus subiecti, eorum iussa, etsi nefaria, ac impia adimplere cogebantur. Sed et idem scriptor, ulterius progrediens, ostendit ueram monarchiam apud Gallos solummodo excitandam. Audiamus uerba quæso illius, ne me quis putet, pro ueris falsa supposuisse. Ita enim pagina. 17. inquit, esse in ea constitutione res Christianorum deductas, ut licet ex decem partibus orbis, uix ternas in libero teneant dominatu, tamen illas esse uniuerso orbi ius dicturas, facilè quisquis usu rerum humanarumque aliquo polleat, iudicauerit. Sunt autem omnino reductæ intra primæ triplicitatis limites.

Benedictio data à Noacho Japheto, præcipuè in Gomeru primogenitum, et eiusdem posteros deriuat.

Itali non præferuntur Gallis in benedictione Japheti, et cur.

Veram Christianorum Monarchiam solum apud Gallos excitandam esse.

Nam licet multitudine gentium, et amplitudine possessionis polleant Ismaelitæ, itaut reuera 14 annis, aut 13 saltem uideantur in omni ratione multitudinis, et latitudinis habere, contra unum Christianorum, siue Isachitarum; tamen et pietate, qua uictoriarum largitor conciliatur Deus, et scientia tam literarum, quam rerum bellicarum, usque adeo sunt superiores, ut nullum sit dubium, quantouis dispendio comparatam uictoriam ultimam penes nos fore; itaut non tantum corpora, sed maximè animos simus rationibus subacturi. Cum enim Deus, et natura nil faciunt, aut in appetitu naturali, nil imprimunt frustra, est omnino necessarium, ut penes eos sit uictoria, qui duce ratione eius usum, et cognitionem omnes appetunt, suadebunt, et diuini, humani iuris usum, reducent compellendo, ipsa ratione duce, omnes ut intrent ad conuiuium uniuersalis Politiæ. Quod si ita cedet [nam prouidentia ob arbitrij humani conseruationem nihil coactum præfinit particularibus] ut siue ab Ismaelitis castigatione, et uehementi ad imperium collusione, aut collisione potius, res deducantur ad Monarchiam, ut omnino necesse est, fore nullo unquam alio in populo poterit duci principium, quam in Gallia.

Galli non sunt sub Imperio, nec ab imperio domari potuere.

Cum enim iam totis sexcentis annis uideamus solam obstitisse Galliam, eo quòd [ut diuinitus in decretis Ecclesiæ præscripto sancitum est] non est sub Imperio, ne posset reuera esse, sicut dicitur Imperator, et ea de re, summis

Christianismi

Christianismi uiribus totis quingentis, immò ferè iam sexcentis annis aggressam, concussam, oppressam, et quouis oppressionis genere laceratam Galliam fuisse cernimus, ut ipsa re cognoscerit imperium, est omnino impossibile, ut alibi quam in Gallia illi obsistente, nascatur monarchia uera, et actu realis. Siue itaque ipsi coronæ Gallicæ affines, et ueri Gallicæ legis conseruatores tantum proficiant, ut ipsi ad imperium perueniant, siue aut concordia, aut alio modo, quouis impedimento istis cessātibus, tamen ut res in Gallia ortum ducat necesse est. Nec .n. Germanicus electoriusue, quacunq; alia uia in Christianismo electus, uel institutus Imperator, unquam, et esse, et haberi poterit, priusquam Galliæ obedientiam in sua iura traxerit. Diuina .n. uirtus in Noachi benedictione data suo in temporalibus primogenito tanta est, ut sit omnino necessarium, consensu populi illius qui ab eo descendit, imperium, et concordiam uniuersalem nasci. Nec est in principum sanguine hoc iuris positum, sed in Reipublicæ Gallicæ solius consēsu, tam in Gumbriæ, quam in Galliæ finibus futurum. Inde uidemus, quam meritò dicantur ab antiquis, tria igneæ triplicitatis signa incumbere in Gallias, sic .n. ratione humana duce — [etiamsi nec sacrum, nec coeleste, nec humanum pro suæ primogenituræ iure decretum haberent] uidentur Gallicæ res esse constitutæ, ut impossibile sit, alterius populi consensu, et notis fundari et defendi imperiū uerum, et Monarchiam, quam Gallici. Hæc, et plura

Signa trigoni ignei influunt in Galliam.

ibidem

Decreta benedictionis Japheti cadunt in Lud.^m 13. Regem Christianissimum.

idem auctor scribit, ex quibus uiri doctissimi uerbis conijcere possumus, ea quæ tradidit, nulli aptius, et uerius, quam LVDOVICO. 13. Gallorum regi inuictissimo accomodari. Ipse .n. originem suam, nedum à Gomero Japheti filio primogenito, sed ab illis regibus, qui in Diuorum numerum coaptati sunt fatetur, ut proinde, si in quemquam iura imperij, et summæ potestatis ad euertendam Tracum tyrannidem, et ad Ecclesiam pacandam, Deo annuente cadent, in hunc quoq. unum, omnia esse transferenda iuremerito credere possumus.

Vt autem ea quæ is doctissimus uir breuibus exarauit, plenius et uberius cunctis in aperto fiant, hæc eadem rationibus auctoritatibusq. ex sacrar. literarum penu depromptis, et nonnullorum celebriorum uatum prædictionibus præmunire placuit. Subindeq. opiniones illor. expendere placuit, qui huius maximi congressus decreta ad alias transferre nationes nituntur. Sybillinuq. oraculum superiori ætate nostrorum maiorum in monte altissimo repertum, ad huius tractationis complementum, et ornatum, examinare constitui.

Reges boni à Deo ad populos regendos eliguntur.

Illud igitur in primis non prætereundum esse existimo, ab orbe condito, Deum sua infinita prouidentia qua res cunctas, et regna speciali quodam iure curat, et administrat, quosdam delegisse ex mortalibus uniuersis, per quos hæc cum pietatis, et iustitiæ æquali pondere regerentur, cuius rei maximæ ministerium etiam ad posteros ab ijsdem propagatos transferre sibi complacuit. Cum enim teste sapientissimo rege, Deo auctore reges regēt

legumq.

conditores iusta decernant, hominem, ut cæteris ius diceret
etiam creauerit, et rationis munere ditata animantia, consor=
tio, et politica gaudeant communione, obidq; rectorem, tanquã
omnium caput sibi efflagitent, hocq; bonum eximium cense=
atur, id ut à summo opifice bonorum cunctorum fonte proflu=
at, profectò necesse ~~est~~ erit, cumq; ab eo tantũmodo recta om=
ni ex parte, et omnibus numeris absoluta proficiscantur [ab
optimo enim mala, et imperfecta deriuare omnino impossibile
est] ut etiam reges, et principes iustitiæ, et uirtutum omnium
cultores, ad mundi regimen præcipuè delecti fuerint à Deo
O. M. fateri omnino debemus. Dixi autem præcipuè, quia
multoties ad scelera populorum ulciscenda, et ob alias caussas,
et ob nonnulla hominum cogitationes, et sensus fugientia, Deus,
teste sacra pagina, regnare etiam facit Hypocritas, sed cum ille
plebi suæ propitius, et clemens fuerit, iustos, æquos, et religionis cul=
tores illi constituit: quorum propagationem ipse præcipuo quodam
iure, etiam longissimis temporum spacijs conseruat, fouetq; ut Stato
ab eodem temporis momento dominandi, regendiq; honorem adi=
piscantur. Quæ omnia uerissima esse, si seriem temporũ, ex
sacris percurramus literis, manifestè apparebit. Rem ipsam
ab ouo, ut inquit Flaccus, repetamus. Ante uniuersalem aqua= Filij Noachi tres.
rum, qua mundus uniuersus obrutus fuit, illuuionem; Noachum
iustissimum, Deoq; acceptissimum uirum, tres filios genuisse con=
stat, quorum uno ob impietatem in patrem reprobato, duos pater=
næ uirtutis æmulos fuisse, omnes fatentur. Cumq; genus homi=
num

multiplicandum necessario esset, ut ijdem mundi plagis præfi-
cerentur necessarium fuit. [neq; enim, unus uniuerso admi-
nistrando par esse potuit] Noë igitur, qui non solum totius mu-
di monarcha, Deo ita disponente fuit, sed etiam sapientissimus
Philosophus, Theologus, et propheta, à quo scientiæ omnes ue-
ræ ad cæteros mortales promanarunt, mundi iurisdictionem
tribus filijs distribuit, Semo primogenito digniorem, et ampliorẽ,
Asiam scilicet demandauit, Japheto secundogenito, iuxta multo-
rum hæbreorum placita [de ordine enim eorum interscripto-
res uaria est disceptatio] Europam, Chamo ab eodem execra-
to Africam; ita tamen, ut posteri Chanaam primogeniti Cha-
mi, essent serui Semi, et Japheti; ut constat, ex benedictionibus
pro Semo et Japheto prolatis. Duos igitur tantum filios ueros
reges, ac pietatis cultores constituit, Semum, et Japhetum, Cha-
naam progenie seruitute damnata. Non negarim tamen Cha-
mum fuisse uerum regem, qui legittimè à Noacho constitutus
fuit, sed quod rex non fuerit iustus, et religionis sectator,
de quibus regibus in scriptura, non multa ratio habetur. Qui
igitur ex Semo, et Japheto originem trahunt, præcæteris
reges habendi sunt, si populis accepti, et proficui futuri sunt,
si religionem, iustitiam, cæterasq; uirtutum dotes coluerint.
Hæc autem ideo attuli, non quod reges moribus deprauatos
legittimè tamen regno succedentes, uel etiam electos reprobemus,
quibus obedientia, et debitus honor conseruari debet, iuxta
D. Petri iussum, obedite præpositis uestris, siue bonis, siuè
discolis,

Noe monarcha tribus filijs mundum distribuit.

ex filijs Noe tantummodo duo reges, boni, et iusti.

sed quod progeniem illorum, qui a Semo, et Japheto oriuntur religionem, iustitiamque colunt, à Deo præcipuo quodam privilegio ad maxima etiam explicanda conservari ostenderemus.

Semi, et Japheti, et Chami familiæ et earum numerus.

Chami posteritas valde propagata est, nam et herbæ malæ citiusquam bonæ succrescunt: et antequam divisio orbis fieret in. 30. iam familias dilatabatur. Semi erant. 27. familiæ, at Japheto quindecim tantum, ut proinde Noachus in ipso benedicendo dixerit. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem. Quod patris iustissimum desiderium, Deus re ipsa compleuit, nam teste Beroso, Japheti semen, nedum in Europa, sed et in Asia minori, et in India citra, et ultra Gangē habitavit, ex illisque posteris eiusdem permulti Africæ oras incoluere.

Japheti familia quomodo dilatata.

Jussionem autem patris omnes fratres explerunt, Chanaam excepto, qui multitudine suorum fretus, fertilissimā, et omnium bonorum uberrimam terram Palestinæ sibi usurpavit, quæ Semo, eiusque posteris iure divisionis debebatur, nec unquam illam repetere potuerunt posteri, quamvis pro ea recuperanda laboraverint. Abrahæ enim, qui per Heber, à Semo, qui et Melchisedech, ortum habebat, aliqua portio contingit, facta etiam à Deo de illa per illius posteros obtinenda repromissione.

Chanaam primum sibi Palestinā usurpat.

Josue magnam, et potiorem partem assequutus est, expulsis chananæis, pherezæis, Jebusæis, cæterisque Chanaam descendentibus, sed præcipua civitas Hierusalem scilicet, adhuc ab eisdem Chananæis retinebatur, donec regno ad Davidem delato penitus à Palestina, eliminati fuere.

Chananei quādiu in Palestina fuere.

Hactenus igitur constat in Semo benedictionis paternæ donum completum fuisse, nam Cananei ei omnino tempore Danidis seruierunt, ac deinceps. Dixerat. n. Noe. Benedictus dominus Deus Sem, sit Canaam seruus eius. At cum Iaphet benediceret, aliquid amplius pater illi concessisse uidetur, nã et hæc memoriæ mandanda dum ei bene præcaretur uerba protulit. Dilatet Deus Iaphet, et habitet in tabernaculis Sem, sitq. Canaam seruus eius. tria igitur dona benedicendo elargitus est, nempe dilatationem, ipsius in portione primogeniti Semi habitationem, et in Canaam et eius posteros dominium. Quæ an hactenus adimpleta sint, uideamus.

Benedictio Noë ãplior in Iapheto, quã in Semo.

Et quod attinet ad dilatationem, progeniem Iapheti ualde amplificatam præteritis temporibus nemo ignorat: tam in imperij amplitudine, et uiribus, quam in scientiarũ artium, aliarumq. uirtutum ornamento. Quis. n. ex Asiæ et Africæ populis, quæ duæ orbis partes reliquis fratrib. Iapheti obtigerant, unquam scientia, et præstantissimarũ rerum cognitione, Gallos primum, apud quos, humanæ sapientiæ primordia, in Samotheis, Druidisq. emicuere, uel Græcorum eloquentiam et eruditionem æquauit? Quanta uero dominandi et imperandi fortuna Romani donati fuerint, orbis penè uniuersus ab eorũ armis deuictus, et subactus confitetur. Hi uero populi, Galli scilicet, et Itali Gomerum Iapheti primogenitum auctorem, et communissimum patrem agnoscunt. Vt interim Germanorum

Familia Iapheti in scientia et imperio dilatata.

Anglorũ

Anglorum, Hispanorum, Sarmatum, Tracum, Capadocum, aliorumq. Europæ populorum, ex alijs eiusdem Japheti liberis ortorum triumphos, et uictorias, præclaraq rerum gestarum monumenta silentio prætercam. De habitatione filiorum Japheti in tabernaculis Semi, oraculum magna ex parte impletum uidemus, nam Alexander Macedo, Asiam suo subiugauit imperio, et eandem Romani debellatam, diu tenuere. Cum uero certum et indubium sit, Japheti posteros Chananeos sibi subiugare debuisse. Chananeorum enim regio Palestina est, et hoc iure benedictionis à Noacho Japheto concesse, qua illi Canaam, in seruum adicitur, uideamus qui nam ex Japheti posteris illam obtinuere. Primi omnium Romani, qui à Gomero, ut dixi descendunt, sub Tito, et Vespesiano illam perfecte subiugarunt, nam et antea, etsi quædam illius regionis pars imperio Romano obtemperaret, non tamen tota, nam et Herodes Ascalonita, qui erat de progenie Semi, et liberi eius, in ea quoq. ius dixisse omnibus est perspicuum. Adrianus porro Imperator, Hierusalem priore funditus euersa, in ea colonias nunquam deduxit, sed per procuratores tantu Palestinam regebat, Samaritis, et alijs populis finitimis ad habitandum eam concedens, ex quibus omnibus liquido patet, huiusmodi prouinciam à filijs Japheti non fuisse per id temporis inhabitatam, quamuis ius imperij in illa Romani possiderent, aliud .n. est aliquid regere, et possessu incolere. Debuerant autem Romani, ut habitaculum antiquissimum

Quomodo filij Japheti habitauerint in tabernaculis Semi.

Filij Japheti qui diu Palestinam retinuere.

Chananeorum illam subiugare, et ut ad Semi iurisdictionem spectantem illam inhabitare, ut ueritatem habeuet ultima pars benedictionis Japhet, in qua dicitur, et habitet in tabernaculis Sem. Hierosolima primum capta fuit à Saracenis, et ab exercitu Caroli magni libertati restituta, quæ iterum in seruitutem adducta, postmodum à Gotifredo Gallo Duce Lotharingiæ, pulsis, et deuictis eisdem Saracenis, redimitur. In qua regnauit ipse, et eius posteri, sed non diu, ex quibus maximé constat, per breue temporis interuallum, ratione habita ad illud quo eam Saraceni occuparunt, à posteris Japheti fuisse possessam. At circiter plusquam mille annis ab eadem Europei exulant, Turca nunc qui de Semi progenie est, dum ab Ismaele filio Abrahæ ortum suum recognoscat, per tyrannidem eam occupante, quomodo ergo benedictionis Noe oraculum locum habebit, si ab Asiæ oris imperio, posteri eius tot annorum spatio separantur? Necesse igitur est, ut electo Dei populo Christianorum Saracenica impietas cedat [nec. n. erit hæres seruus cum filio liberæ] ut ueri Israelitæ terram promissionis diuino muniti præsidio, sibi subditam faciant, Christi sepulcrum iterum purgent, eliminatis illis, qui in Christi contumeliam, illam tot criminum sordibus, et colluuie commaculant.

Sed cuinam genti hæc præclarissima laus reseruatur? illi profectó, quæ à Deo ad id muneris præcipue quodam

suæ

Hierosolima à Carolo magno 1°. à Saracenis liberata.

Gottifredus Gallus Lotharingiæ Dux Hierusalem 2°. liberat.

[Sa]raceni ab Asia, [et] à Sepulcro [C]hristi à christia[n]is expellentur.

[...]i et ergo dexiæ [...]ro ad Turcam, et infideles expugn[a]ndos electi.

prouidentiæ priuilegio destinata fuit. Sed quis hoc diuinæ sapientiæ abditum, et imperscrutabile sacramentum unquam scire, et cunctis cognitum explicare poterit? quis .n. cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Fateor quidē, et ingenuè profiteor, quemlibet intellectum ad huiusmodi diuinæ prouidentiæ penetralia animo perlustranda, esse omnino imparem, et à gloria Diuinæ maiestatis uinci, et superari. Sed tamen si quæ in autenticis circunferuntur libris propheticæ quædam reuelationes sanctissimis uiris factæ, animo perlustrentur, id munus præstantissimum, cuidam Galloꝝ regi coelitus demandandum liquidò apparebit. Has omnes ut iacent reuelationes ex lib.o R.di Patris Stephani Lusignani Ciprij, ordinis prædicatorum, coronæ principum nuncupato, et in quinq. partes, siue coronas diuiso, hoc in loco adducere placuit, quas quis sedulò fuerit contemplatus, aliquas earū ex parte impletas, permultas uero adhuc implendas uidebit. D. Augustinus, uel ut alij uolunt D. Seuerus, in expositione illius loci D. Pauli. Quoniam nisi uenerit discessio primum, non reuelabitur filius iniquitatis. ad Tessal. docet Antichristum non esse in mundum uenturum, nisi uenerit primum in mundum discessio, hoc est, nisi discesserint, omnia regna à Romano imperio, quæ prius subdita erant, hoc autem nondum aduenit, quia licet uideamus Romanum imperium, ex maxima parte destructum, non tamen quandiu Reges Francorum durauerint, qui Romanū imperium tenere

Antichristus non ueniet in mundum durātibus regibus Galloꝝ. ex D. Seuero.

debent, Romani dignitas imperij ex toto non peribit, quia in regibus suis stabit. Haec ille. et postea subiungit, quidam uero nostri doctores dicunt, quod unus ex regibus Francorum Romanum imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, et ipse erit maximus. et omnium regum ultimus, qui postquam regnum suum feliciter gubernauerit, ad ultimum Hierosolimam ueniet, et in monte oliueti sceptrū, et coronam suam deponet. Hic erit finis, et consumatio Romani Imperij, et tunc statim Antichristus ueniet. cui doctrinae adstipulatur D. Thom. de regim. prin: cap. 16. qui asserit omnes Gallorum reges ungi sacro chrismate, de coelis emisso, et inquit signa, et portenta, et uariae cura apparent ex eo. Quandiu igitur signa et prodigia in Ecclesia durauerint nihil timendum de Antichristi aduentu, cum uero defecerint, tunc ueniet filius perditionis, iuxta illud Psalmi. Signa nostra non uidimus, iam non est propheta, et nos non cognoscet amplius. Portenta autem fiunt á regibus Gallorum in curatione infirmorum, ratione illius olei coelitus demissi, ergo quandiu durauerint Gallorum reges, Ecclesia Antichristi rabiem timere nō debebit.

Prophetia de Rege Galloꝝ

Virtus chrismatis è cęlo dilapsi, quo unguntur Reges Galloꝝ. 2.m D. Th.

Tritemius etiam Abbas in lib.o de secundeis, quem Ferdinādo 2.o Imperatori nuncupauit, apertè asserit, ante mundi consumationem, imperij dignitatem ad Gallos reuersuram.

…perium ad Gallos reuersurū 2.m Tritemium.

Telesphorus Heremita Consentinus in lib.o Venetijs edito 1516. de consensu R.mi Antonij Contareni Patriarchae Veneti,

…uelationes regibus Galloꝝ.

~~de~~ et

~~conventu R~~.mi et ad.m R.di P. Francisci Pisani inquisitoris Mirorvitae, cum privilegio Apostolico, haec habet.

Papa Angelicus sanctus imperiali corona coronabit Gallorum regem, qui genuflexus ad pedes suae sanctitatis coronari spinea ab eo corona supplicabit, in memoriam et reuerentiam passionis Jesu christi; ad quem regem scriptum est vaticinium. Vocabit eum sibi dominus dilectum suum, dilectum filium, regem iustum, et benedictum. et hic unionem siue foedus cum Anglorum rege faciet, et cum Venetorum duce, qui erit dux militiae Christianorum. et autoritate summi Angelici pastoris, omnes Turcarum exercitum destruent.

In eodem lib.o habetur praeterea, hunc Papam Angelicum Germanorum imperatore mortuo, Galliarum regem diademate coronaturum, qui rex erit de semine Pipini, corona spinea, ad honorem sanctissimae coronae spineae Christi, et tunc expeditio fiet in terram sanctam, quam uictor idem rex capiet; et hic cum Romano Pontifice ecclesiam reformabit. Reuelationes

Et D. Brigitta. Hoc facto autem tempore post terminum quinque, accipiet Rex uexillum de altare Dei benedicti, et cum bellicosis hominibus accedet contra Paganos. et per diuinam gratiam uictoriam obtinebit, conductis infidelibus ad baptismum, redibit Rex cum gloria de sancta ciuitate. D. Brigittae fac[…]

Item in alio lib.o antiquissimo in Mestrensi Castro Venetorum haec reperta fuere. reuelationes codice antiqui[ssi]mo in castro Mestrensi.

1 Ecce Leo Gallus obuiabit aquilae, et feriet caput ipsius

et erit bellum immensum, et mors ualida.

2. Gripho regalis genitus in Francia ueniet in oriente, trahens ad se magnam caudam.

3. Rex titulum pacis habens, dominus uiduae, et sanctae ciuitatis erit effectus, fiet passagium, peregrinantes intrabunt, munitiones et obtinebunt, et lux quae erat per tantum tempus abscondita, clara, et per totum mundum manebit.

Et ibi etiam haec habentur.

Aliae reuelationes.

1º Vnus pastor, qui reficiet utramque ecclesiam concordialiter cum magna pace.

2º quod temporalia ecclesiae concordialiter dabuntur uni regi, et hoc etiam concordialiter.

3º Vnitas praedicta, et rex diu durabit in regno suo.

4º Deponentur tyranni in terris ecclesiae, et sub nomine regis gubernabuntur omnia.

5º Vniuersitas christianorum credet in electum, tanquam in uerum pastorem.

6º Non amplius Schisma in Ecclesia, usque ad tempus Antichristi erit.

7º fiet passagium per praedictum regem Franciae, et omnes gentes armorum.

8º fiet conuersio generalis. Amen.

Reuelatio facta Ciboni Anglo.

Anno 1426. Cibonus Angliae reuelationem habuit, quam ille interpretando dixit, quendam regem Francorum futurum mundi Monarcham.

Antonius Quisinus Vanensis in expositione aquilae Esdrae idem

idem concludit super illa verba. et mouebuntur nimbi copi=
osi, et portio aliorum nimbor copiosorum mouebitur ab occi
dente.

Franciscus Aluarus Orator Regis Lusitaniæ ad regem Æthiopū
in prophetijs illorum populorum inuenit. Christianos ex Eu=
ropa soluturos ad portum Maliguæ, et hic apenietur portus, quo reserato Saracenorum secta cessabit, et destruetur. In libris etiam eorundem duæ prophetiæ reperiuntur, prior S. Ficatorij; altera S. Sinondæ, qui fuerunt Anachoritæ in Ægipto. Franchi ab ultimis terræ per mare uenient, cumq Abissinis iungentur, cum ualidissimis copijs Tor, et Zidem, Mecham destruent, et absq intermissione tantus erit gentium numerus, ut usq ad fundamenta, Mechæ ciuitas euertatur. Magnam Cayri ciuitatem capient, cum Ægipto. Postquæ feliciter gesta, discordia inter eos orietur, cuinam illa cedi debeant, et simul concordantes, sponte illam Abissini Franchis resignabunt, atq ita Galliarū corona totius illius regionis moderatrix et domina futura est.

Æthiopum de Gallis prophetiæ.

Hæc sunt quæ fideliter ex supradicto libº. F. Stephani ordinis prædicatorū fideliter exarata hic adducta fuere. Perquæ satis constat ex diuinis reuelationibus regem aliquem Gallor., iura imperij iterum debere recuperare, atq Gallos Palestinam, è manibus infidelium erepturos, pacem et concordiam uniuersalem curaturos,

eorum medio, Papam ecclesiam reformaturũ.

Cur autem Gallis potius, quàm Italis, uel Hispanis, uel Germanis, cæterisq; Christianis populis hæc reseruentur, manifestare, et in aperto facere, prorsus impossibile puto, cum mortalium nullus diuini consilij imperscrutabilis arcana inspicere ualeat. Si tamen aliquam coniecturam in medium afferre liceat, dicerem, salua semper meliori censura, id illis contingere, ob regum suoꝝ religionem, et reuerentiam ergà ecclesiam Romanam, Cum .n. Ecclesiæ Romanæ filij primogeniti ex regibus habeantur, et fidelitatem præstarunt, et obsequium semper erga illam, itaut illam primi Exarcatu in Italia augerent, illius hostes militari expeditione suscepta sæpius compescerent, quæ omnia cum clarissima sint in historijs, superuacaneum existimo hic iterum repetere. Vnũ hic tantum adducam, quod idem F. Stefanus in superius exposito libº. pro re satis suscipienda, et celebranda scribit: Imperatores scilicet uiginti Pontifices ex urbe expulisse, quoꝝ aliquos occidere, alios exilio mulctarunt, uarijsq; ærumnis diuexarunt, quoꝝ nomina sunt. Julius primus, Simachus, Siluerius, Vigilius, Martinus pˢ. Leo tertius, Eugenius secundus, Joannes octauus, Leo quartus, Joannes Decimus, Benedictus octauus, Gregorius Sextus, Victor tertius, Paschalis secundus, Alexander tertius. Clemens. 6. Eugenius quartus. Joannes 14. Joannes. 16. Gregorius. 5. Quibus nunquã Galliaꝝ

Cur Gallis à Deo uictoriæ contra infideles reseruentur

Reges Galloꝝ ecclesiæ primogeniti erga illam obsequium et defensionē sempˢ præstarunt.

reges aduersati sunt, nec ulli hæresi, uel schismati assensum præbuere, semperq; Romanæ ecclesiæ acerrimi defensores fuere, octoq; Romanos Pontifices, è sua sede pulsos, in eadem suscepto bello restituere, quorum nomina sunt. Sergius, Leo 3. Zacharias. Stefanus, Celestinus, Innocentius, Alexander, Paschalis.

Octo Romani Pontifices à Gallorum regibus in sua sedem restituti.

Quæ quæso natio prima contra infideles arma sumpsit et de illis victoriam reportauit, nonne Gallica? quæ teste Genebrardo, Rege ipsius Clodoueo duce, contra Alaricum Visigothum Arianum bellum inijt, ac ipsum gloriosissimè fugauit, Primi igitur Christiani milites pro fide decertantes Galli fuere, his igitur, etiam gloria Turcam, et infideles iterum debellandi à Deo reseruatur. Quid de pietate Caroli cognomento magni dicam? qui Longobardos Pontifici infensos, et totis Italiæ, ab Insubria expulit, Christi Vicario in sua sede restituto, totius populi clamoribus Augustus inauguratur, donationem Pipini de exarcatu iterum confirmat, amplificat, qui Germaniam bellis subiugat, atq; ibidem omnes Ecclesias Episcopales, Archiepiscopales, fundat, dotat, reliquijs martirum ornat, Saxonesq; ad fidem Christi recipiendam adigit, Vngaros, Bauaros ab infidelitate ad Christianismum, Sanctorum virorum ministerio, et prædicatione perducit, qui Hispaniam à seruitute liberat Saracenorum, cultum Dei in ea introducit, qui corpus D. Jacobi transfert, in cuius translatione, Lupa regina P.a Castellarum fidem recipit, quo pugnante pro fide Sol, quemadmodum tempore

Galli primi milites christiani contra Arianos

Caroli magni pietas in ecclesiam, et gesta eius pro religione.

Carolus Magnus Hispaniam à Saracenis liberat et transfert corpus D. Jacobi Apostoli

Jonnestebat, qui Christi sepulcrum bellicis armis infidelibus eripuit, cuius anima ipso moriente à Turpino Archiepiscopo, ut idem scribit, in coelum ferri uisa est.

Catalogus regum Gallorum qui sanctitate floruerunt, et mulierum quae Sanctae habentur ac sanguine iunctae regibus fuere Gallorum.

Nec silentio obuoluendi sunt illi reges Galliae qui inter sanctos post illorum obitum connumerari meruerunt, ut ex hoc Gallorum regum pietas magis innotescat. quibus mulieres sanctas eiusdem stirpis adiungimus.

Sigismundus rex Britanniae in Gallijs, pius et iustus à Clodomiro capitur, et martirio coronatur, qui clarens post mortem miraculis, in diuorum numerum recensetur.

Vrsula uirgo filia Mauri regis Britanniae in Gallijs, cum undecim millibus virginibus coronam accipit martirij.

Cassimunda regis Chilperici uxor, sine ulla criminis occasione à marito occiditur, et postmodum mortua miraculis claret.

Gottardus ex illis regibus fuit, qui se à mundo abdicarunt, cunctis n. ~~pr~~ rebus suis pauperibus distributis, sanctissimè uixit, et sanctorum consortio copulatur.

Berga mater Pipini Primi decessit multis aucta miraculis.

Neitiburgis Virgo, filia eiusdem Pipini, et soror Caroli Martelli iacet Coloniae cum sanctitatis opinione.

Arnulfus praefectus domus Regis Gallorum filius principis Angisensis, renuntians magistratui, uitam elegit contemplatiuam, postea fit Metensis Episcopus, et post mortem sanctis illius urbis aggregatur.

Clodulfus filius huius in uitae integritate, dignitateque patri

~~a~~ successit, et Doda mater huius Coldulfi fit monacha.
Gertrudis filia Pipini Regis Gallorum et soror Caroli Magni virginitatem perpetuò coluit, nec miraculis in vita, et morte caruit.
Rotolandus Caroli magni nepos, filius Bertae sororis eiusdem Caroli, tanquam alter Sampson contra Paganos invictissimè pugnabat, nunquam nisi suorum peccatorum confessione facta praelium inibat, in bello Carolum in Hispania, in Germania comitatur, qui strenuissimè in Ronscivalle contra hostes infideles decertando, nonullorum proditione necatur: et moriens carnem suam manibus palpando dicebat. credo, quod redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum: quem visurus sum ego, et non alius et oculi mei conspecturi sunt, et postea subiungebat, propter tuam fidem Domine morior, miserere mei. Honorificè autem post mortem à Carolo sepelitur, cuius vitam gloriosissimam Petrus de Natalibus describit, eundemque cum suis socijs sanctissimis viris, sanctorum martirum consortio iungit: mortuus est annorum 38 aetatem habens.
Amilius gener Caroli magni à Longobardis, pro christi fide martirio afficitur. eius vitam Vincentius Bellovacensis, et S. Antoninus describunt.
Carolus tertius rex Gallorum, et Imperator vir religiosissimus, et pacificus, Egipham regis Galliciae filiam in uxorem accipit, parique consensu virginitatem conservant, cuius uxor postea fit monialis. Carolus virtutibus cumulatus, visiones

mirabiles coelitus consequutus fuit, ut narrant historici ab Angelo q. didicit, ipsum imperio priuandum, et in paupertate moriturum, id quod illi biennio accidit, nam suor. subditor. nefaria necatur conspiratione, et á multis pro martire habetur.

Radegunda filia Berengarij Regis Lotharingiæ, Lothario Regi Gallorum despondetur, quæ adeo pijs intenta operibus, orationibus, et ieiunijs fuit, elemosinisq. in pauperes erogandis, ut propterea ipsam Rex fastidiens, qui monialem, non uxorem se habere dicebat, illam repudiauit, quæ uelum á B. Medardo accipiens, in monasterio Sanctar. uirginum recipitur, insigni nota sanctitatis uiuẽs, in uita, et post mortem miraculis non caruit.

S. Ludouicus rex Galliar. nonus, quid egerit, mundo est apertissimum, á Bonifacio Octauo in diuor. coetu connumeratur.

Joanna Regina Galliar. deuotissima, et profunda humilitate prædita, omniq. uirtutum ornamento refulgens, dum uiueret Sancta reputabatur, decessit anno domini. 1349.

Robertum Galliar. regem, iustum, et pium, omniq. scientiar. genere excultum omnes prædicant, qui cum á bellis non prohiberetur, literis, disputationibus iugiter operam dabat, quotidiè horas Canonicas more Sacerdotum recitabat, et ubi á regno administrando uacabat, cum alijs Clericis in choro psallebat, Musicæ præterea studiosus erat, et illam præclaram cantillenam, Sancti Spiritus adsit nobis gratia composuit. Dũ in Castri expugnatione militaret, illudq. capere non ua-

leret

chorum Deum laudaturus ingreditur, et statim diuinitus muri illius castri solo æquantur, ad instar alterius Hierico. Maxima in pauperes semper usus fuit liberalitate, et cum de repente, ab eis rogaretur, cum nihil ad manum haberet, proprias largiebatur uestes.

Clodoueus rex Gallorum primus fidem Christi amplexatus fuit, precibus Clotildis eius uxoris, à Sanctoque Remigio Rhemensi Episcopo baptizatur, cumque ut inungeretur chrisma deesset, ab Angelo ampulla sancti chrismate plena cochitus demittitur, quo reges Galliarum inunguntur, et Genebrardo teste in eius baptismate à D. Remigio Ludouicus nuncupatur. primusque ex cunctis regibus christianis fuit, qui contra Alarium Arianum arma feliciter tulit, uictoriamque insignem reportauit. Quocircà primi Christiani milites, contra fidei hostes pugnantes Galli ~~fuere~~ iure meritò prædicantur. Is etiam rex inuictissimus, primus omnium christianissimi cognomentum adeptus fuit ab Anastasio Imperatore, qui illum Romanum etiam Senatorem creauit: ut idem Genebrardus in sua Cronologia pag. 45. testatur, Parisijs in folio. permultique hunc regem præclarissimum inter beatos connumerant.

D. Remigius Clodoueo regi in baptismate Ludouici nomen imponit.

Ex his igitur quæ hactenus recensuimus satis liquere puto, Gallorum reges olim pietate, et religionis cultu, et erga Ecclesiam honore, nemini unquam concessisse, quorum uirtutes egregias, cum nunc per omnia æmuletur LVdouicus 13. qui nunc habenas imperij moderatur Galliæ, ipse

virtutes, et eximia pietas Ludovici 13. regis Gallorum.

enim è suo regno debellatis, et profligatis fidei hostibus, omne virus falsæ doctrinæ amandauit, ad pristinumque religionis puræ nitorem, omnes sibi subditas prouincias restituere in dies non cessat. Qui etiam nouissimè, se suosque liberos, et cuncti sui regni districtum Beatissimæ Dei genitrici, tanquam Diuæ tutelari dicauit, et consecrauit, dubitare nemo debet, quin in hunc gloriosissimum regem, iustum cognomine, et re ipsa, omnibus præterea virtutibus heroicis cumulatissimum, quicquid eximij astra in hac Synodo maxima ignei trigoni pollicentur, sit casurum. Is .n. duorum superiorum spectatissimus congressus, post bellorum tumultuariam turbulentiam, pacem et concordiam tandem spondet uniuersalem, cum uni omnes se, suaque credent, non ut ille omnibus Tyrannicè dominetur, et aliorum regna, et principatus destruat, et per suos ministros omnia ordinet, et disponat, ut nunc per eos qui pacem Europæ perturbant, luctuosè passim fieri videmus: sed ut sui nominis maiestate, et viribus, omnes in unum principes [suis illis dominijs, et libertate conseruatis] colligat, et uniat, ad totius Christianæ reipublicæ pacem conseruandam, et viribus amplificandam, contra infideles, et religionis perduelles. Hoc autem veri regis, nō Tyranni munus Coelitus, ut puto Gallorum regibus demandabitur, ut scilicet populum Christianum, unum charitate, et pace firmissima faciant, quæ est vera Christi Monarchia, et verus Sabathismus, et in hoc præstantissimo opere totum esse LUDOUICUM 13. crediderim, et etiam iurauerim.

Decreta huius congressus ♄ et ♃ in signo igneo Ludo. 13. Regem præcipuè tangunt.

Qualis Monarchia futura sit sub hac maxima coniunctione

Mens Ludouici 13. regis in imperij regimine.

In

In Ecclesia porrò Dei ante aduentum Antichristi, ut puto universalis pax, et concordia excitanda est, idq; docent Sybillæ, oracula supra exposita, et Ioachimus Abbas in Apocalipsim, ut unitas Dei, in uno pastore, in uno grege, et rege præfulgeat. Non quod alij reges ut iam dixi, et principes sint abolendi, sed quod maiestate et potentia unius sint ad pacem seruandam, et concordiam adigendi. Id autem fiet non Tyrannicè, sed illis prorsus è medio sublatis, et subiugatis, qui discordiarum sunt auctores, et incentores, et soli absq; aliorum consortio ius cæteris dicere gestiunt, et procurant. Veræ igitur pacis custos in orbis administratione nunquam esse potent, nisi uerus rex, qui non dolis, ac machinamentis, et quod deterius est, uiolentia regnum sibi usurpat, sed à Deo ad id munus uocatur, et ad fastigium dominandi erigitur. Id quod solis Francorum regibus congruit, qui lege Salica, sine ulla uiolentia, sine ullis artificijs hominum ad regnum sublimatur. Qui coelitus, chrismate delato inunguntur, quod, ut constantissimè credo, si Tyranni essent, illis minimè accideret. cum autem chrisma sit pacis, et concordiæ symbolum, et à Coelo, quod undique patet, omnia concludit, et coercet proficiscatur, efficitur quoq;, ut præ cæteris Galliarum reges pacem sint in orbem introducturi, et ubiq; terrarum illam seminaturi, spinis prius, et sentibus ab orbe cuncto abscisis, et igni bellorum combustis.

Pax universalis in Ecclesia ante aduentum Antichristi introducenda.

Qualis debeat esse rex qui pacem universalem procurat.

Reges Gallorum absq; uiolentia ad regnum uocantur.

Rex igitur Gallorum si uera fateri debemus potius Coelestis, quam terrenus dici meretur, cum à Coelo tanquam Athleta fortissimus inungatur; si tamen uitae innocentiam et iustitiam cum religione custodierit, quibus fretus Dei implorato praesidio, et ui sacrae unctionis Coelestis omnes hostes pacis et fidei facilimè expugnabit, nedum naturali uia, et ratione, sed etiam uiribus supernaturalibus à Coelo datis. Nunquid enim sacra ipsorum unctio ad strumas ~~tumm~~ depellendas, et morbos profligandos, ualet, non uerò ad pugnandum, et deuincendum, ad quod praecipuè instituta esse uidetur? opus est igitur uera fide, et uiua, operibus sanctis, et pijs iuncta, his, Deo pugnante resistere poterit nemo.

Rex Gallorum potius coelestis, quam terrenus appellandus, ui unctionis sacrae, et uitae[?] ... fidei, et pacis hostes debellabit

...is sacrae unctionis

Meminisse etiam oportet Gallorum reges, non temporalia tantum, sed spiritualia quoque, procurare debere, ita ut illorum imperium ad Coeleste dirigatur, ut omnes sibi subditos ad uitae religionem suo exemplo, et monitis informent; sic .n. decet facere illum, qui Coelesti imbuitur oleo, id quod Carolus Magnus, et nonnulli alij reges praestitere. cuius rei praestantissimae merito Innocentius 4. Summus Pontifex, teste D. Thom. in 4. Sent. dist. 20. q. 3. concessit cunctis fidelibus decem annos indulgentiae, qui pro Galliarum rege Deum deprecarentur. Ergò cum Ecclesia concedat, et elargiatur indulgentiam, quae solùm erogatur ob bonum spirituale habitum

Rex Gallorum debet spiritualia procurare.

Indulgentia conceditur à Pontifice his qui Deum pro Gallorum rege precantur.

habitum, uel recipiendum, fatetur ipsa bonum spirituale defensionis, et tutellæ fidei catholicæ, ac etiam propagationis ipsius, et Romanæ præcipuè sedis semper à Gallis consequutam fuisse.
At nunc, si ad alias mundi regiones animum, cogitationesq. conuertimus, uidebimus statim iustitiam peculari, et omne humanitatis specimen contemni, tyrannide ubiq. grassante. Quomodo [ut de imperio uerba faciam] misera Germania, contra ius, et omne fas, iugum intollerabile seruitutis sustinere ceruicibus cogitur? Num legittima Imperatoris illa censeri debet electio, quæ uiolenter, et omnibus uijs, etiam illicitis extorquetur? Quomodo ab his pax sperari unquam poterit, qui iustitiam prorsus contemnunt, cum sine iustitia, quæ unicuiq. ius suum distribuit, pax uera haberi nequeat. testante Psalmista. Iustitia, et pax osculatæ sunt. Iustitiam, ut pacem præcedat oportet, non pax iustitiam.

electio imperatoris hodierna nulla, et uiolenta



Vt autem de illorum sententia aliquid loquamur, qui decreta huius maximi congressus ad alias transferre nituntur nationes [nam quod Hispanos minime afficiant abundè supra probatum fuit] ut certo procedatur ordine, ea in quibus conuenimus P.o loco adducemus, deinde eorum à nostra sententia perpendetur discrepantia, et num illorum placitum congruat ueritati, trutinabitur.

Septem maximi congressus ♄ et ♃ in signis igneis ab orbe condito, ad hæc tempora numerantur.

Primo apud omnes est in confesso, qui Chronologiam temporum veriorem sequuntur, nec Græcorum fabulosis annorum periodis, uel monstrosis Arabum commentis addicti sunt. Septem hactenus ab orbe condito maximos duorum superiorum conuentus in signis trigoni ignei ad principium Arietis celebratos fuisse. Quorum primus asseritur factus tempore Henoch. Secundus dum inhumanis esset Noe diluuio superueniente. Tertius dum Moses populum Dei, à seruitute Ægipti eripuit. Quartus tempore Regum Israel. s. Dauidis, et Salomonis. Quintus cum Christus pro nobis carnem assumpsit. Sextus tempore Caroli Magni. Septimus secundum aliquos apparuit anno 1583. iuxta Tyconem, licet alij et uerius illum in partibus 9. Sagittarij contigisse affirment anno. s. 1603. nam reuera illa coniunctio, quæ accidit anno 1583. fuit in ultimis partibus piscium, nec planetæ superiores corpore occupabant signum Arietis, quamuis radijs illud collustrarent. Nec est uerum illud Arabum commentum, planetam dum est in ultimis partibus signi, totam suam uim sequenti communicare signo. Si. n. reuera est in alio signo, quomodo in eo, non exercebit ius suum? à quo prohibebitur? quomodo robur suum ab eo auferet, illudque signo insequenti communicabit? Hæc neque intelligo, nec uera esse credo. bene puto decreta coniunctionis 1583 esse mixta,

Congressus maximus ♄ et ♃ in signis igneis fuit in sagittario.

redolentia

redolentia partim naturam Agni piscium, et partim arietis, cum ut dixi radiorum medietate [cum orbicu=lariter radij spergantur] primiores Arietis gradus illu=strentur. Ut igitur omnis auferatur controuersia, dicamus, illam coniunctionem sincerum, et germanã contigisse in sagittario. Quod uerò in illo signo fuerit celebrata, ef=fectus exinde subsequuti satis ostenderunt, nam anno 1604 maxima siccitas in orbe fuit, et Regnum Gallor. maximum habuit incrementum, pace per magnum Henricum Quartum regno suo indicta, et duo=bus annis ferè ante ipsam LVDOVICUS. 13. eiusdem fi=lius in lucem auspicatissimè prodijt.

Huius autem maximæ synodi decreta esse omnino salutaria, et ex eis maximum toti orbi emolumentum oriturum, etiam omnes fatentur. quia ut ait Tyco, cum sit septima, et ex numero imparium, quæ semper sa=lutares fuere, effectus suos mundo optatissimos edet. denotat enim Sabbatismum illum decantatum toties à Caballistis, et à Joachimo. Ante .n. uniuersalem re=rum conflagrationem, status mundi pacificus appa=rebit, ut tradunt uaticinia, et illustrium hominum reuelationes, in quo Politiæ confusiones, et religionũ tumultuaria uarietas, in ueram pacem, et pietatem, et uniuersalem concordiam. et uniformem Dei cultũ

effectus huius maximi congres=sus ♄ et ♃ maxi=mè salutares.

mutabuntur, cui in sacra pagina adstipulatur Micheæ cap. 4. et Esaiæ cap. 11.

Quatuor trigoni in quibus cele:brantur maximi congressus, et quid ab unoquoque significetur.

Item ex Cardano præaccipiendum est, quatuor esse trigonos in quorum initio, per longissima temporum interualla celebrantur maximæ Jovis et Saturni coniunctiones, in quorum conuentu uariæ et mirabiles mundo mutationes contingunt. Et cum, ut asserui, quatuor trigoni numerentur, igneus, aereus, aqueus, terreus, si in principijs trigoni ignei iungantur, Monarchiæ præstantissimæ, et maxima oriuntur imperia, siccitates præterea ualidæ, uictualium penuriæ, et fames, incendia, bella, et aliorum imperiorum subuersiones, quorum ortus mundo apparuit sub aerea coniunctione. Huiusmodique decreta Europeos præcipue tangunt, qui trigono subiacent igneo.

Si in aereis conueniant illi duo superiores, aeris maximas mutationes adducunt, uentos scilicet terribiles, pestes, imperiorumque permutationes, illorum præcipue, quæ sub ignea coniunctione mundo emersere. Hincque factum fuit, ut Romanorum potentia, sub hoc superiorum conuentu à Gothis Vandalis, et cæteris barbaris nationibus finem acciperet, hæcque coniunctio, Orientales, et Septentrionales gentes tangit, quæ trigono adijciuntur aereo: ut sunt Scithæ, qui nunc Tartari appellantur.

Cum uero superiores duo in terreis iunguntur, fiunt terræmotus

terræmotus maximi, uariæ rerum uicissitudines, imperiorumque quoque mutationes, et illorum in primis quæ fundata sub coniunctione aquea fuerunt. Hæcque coniunctio proprie populos orientales ad meridiem uergentes respicit, cuiusmodi sunt Parthi Medi, Persæ, et Indi.

Sin iungantur ijdem planetæ duo in signis aqueis. In mari et fluminibus uaria pericula, et submersiones excitant, inundationes promouent, et cum Mars trigono huic imperet, uaria bellorum genera insurgunt, quibus conuelluntur illa imperia, et principatus, quæ sub coniunctione terrea originem traxere, sic bella Cartaginensium cum Romanis sub hac coniunctione exarsere, quibus ipsa Cartago deleta fuit, uarij etiam orbis tractus deteguntur nauigationibus, ut hac regnante Indiæ occidentales repertæ fuere, permultaque artium præterea mechanicarum usus producuntur; sic bombardarum tormenta, et pulueris tormentarij ad hominum usus peruenit. Hæcque coniunctio Africanos speciali quodam iure tangit, ut sunt Cartaginenses. Getuli, Libiæ populi, et consimiles.

Stella noua quæ apparuit anno 1572. et eius decreta ex Tycone.

Præaccipiendum præterea his, quæ hactenus diximus, nonnullos, ut Tyco decreta illius mirabilis stellæ, quæ mundo apparuit anno 1572 adiungere, tanquam ad duorum superiorum synodum pertinentia, quæ stella, cum in altissima firmamenti sede refulserit, ac eundem, cum fixis habuerit motum, et circuitum, omnium in se oculos admirabili suo fulgore illexit, et traxit. Apparuit autem 8.a die

Nouembris anni 1572. ex Michaelis Mestellini obseruationibus. Hæc autem stella, cum in superiori parte toti orbi imineret (uisa enim fuit prope Cassiopeam, in gradibus. 5. Tauri) uniuersalem rerum mutationem præsagiuit, per plurimas terræ regiones, et potissimũ eas, quæ ab æquatore uersus Borealem polum pertinent. Et cum non in inferiori planetarum sede, sed in superiori parte moueretur ad instar fixarum, non unam terræ partem afficiendam præmonstrabat, sed totum orbem, et uniuersa regna, et imperia, cum uniuersis Rebuspublicis. Et cum stellæ ei regioni cui insident præstantiores adducat effectus, ut etiam occasio ab ea terræ plaga desumatur, cui ad perpendiculum incubebat tempore sui exortus, consequens omninò fuit. Erat latitudo loci graduum 61. min: 45. Is autem orbis tractus nil aliud esse poterat quam Russia uel Moscouia. Vnde aliqui suspicantur, Ducem Moscouũ, et Iberorum, alij putant regem Poloniæ, in partes interiores Europæ irrupturum, et magnam stragem editurum, regna, et imperia demoliturum, et uastaturum, quamuis ipse tandem conficietur, et terra ab eius peste liberabitur. Idq. confirmant, quòd in Apocalipsi legatur, gentes quæ sunt super Gog, et Magog esse commouendas, et per Gog, et Magog intelligit Castellio Ducem magnũ Moschorum atq. Iberorum, de quo accipiunt oracula Ezechielis cap. 34. et Isaiæ cap. 17. et 56. et Michææ cap. 5. His rationibus, et authoritatibus permoti, censent decreta huius maximæ coniunctionis, et sideris quod mundo anno 1572 apparuit, ad solos attinere populos Septentrionales, non uerò ad Gallos, uel ad alios populos Europæ.

Regio cui incũbebat noua stella 1572.

Dux Moschorum iuxta aliquos stragem in Europa edet maximam, ad eumq. decreta huius ipsæ coniunctionis spectant.

Vt autem.

Ut autem meam sententiam hac in re abstrusissima proferam, animaduerto primo, sepius hæc sydera mortalibus apparuisse, quamuis pauci reperti fuerint, qui illa obseruauerint. Primus omnium Hiparcus qui uixit circa finem Monarchiæ Græcorum anno ante Christum 125 tempore belli Cimbrici, nouam stellam deprehendit, teste Plinio, ratione cuius dubitans an hoc sepius contingeret, et an fixæ mouerentur, laborem subijt, omnium stellarum situs, et loca perscrutandi, quem præstitit, et posteritati mandauit; quamuis Hiparchi sidus, ut testatur Tyco, proprio non careret motu, hocque imperij Græcorum mundo inclinationem annunciauit.

Stellæ nouæ in Coelo sepius uisæ. et quando.

Tempore quoque Ottonis imperatoris Primi consimilem stellam effulsisse animaduerti Cyprianus Leouitius, anno 945, posteaque innumera bella orbem perturbarunt, et peregrinæ gentes in Germaniam irrepsere.

Idem Leouitius adnotauit anno 1264. circa latus Cassiopeæ idem sydus uisum fuisse, carens crinibus et motu proprio, quo tempore duæ familiæ florentissimæ Germaniæ ~~extinctæ~~ excissæ sunt, et interregnum plurium annorum subsequutum fuit.

Dico secundo hoc sydus, non ad unam partem telluris Borealis spectare, sed solum ad tractum omnem Septentrionalem Europeum, qui maximé affici debet, mutatione imperiorum, et sedorum incursionibus, et cladibus, ut uetus regnum [ut optimé referente Tycone, Postellus tradit, idque non inuerisimile idem Tyco putat] aboleatur, et nouum restituatur, in quo pietas, et iustitia abundabit, destructis illis, qui cum mundo fornicauere. Restitutionem

Stellæ nouæ decretum ad quam regionis partem spectent, et quæ sint.

enim

uerae pietatis et religionis, haereseon monstris profligatis, imminere ex eo cum Tycone possumus coniicere, quod eadem stella colurum aequinoctiorum, ~~adeo~~ adeoque eius semicirculum tam alte occuparet, unde Rerumpublicarum, et legum status, teste Ptolomeo, aliisque uetustissimis Astronomis portenduntur.

Stellae nouae decreta ad regem Poloniae, uel ducem Mosconiae non spectant, sicut nec decreta maximae o[con]ignea, et cur.

Nec timendum de Duce Moschouiae uel de rege Polonorum quia sydus eorum uerticibus insidebat, nam licet ualidae mutationes illis in locis sint timendae, non propterea ad illos decreta huius coniunctionis attinere fatendum erit. Cur enim si in sesto Astrorum uerticalis locis dominia, et imperio affert, populi sub aequinoctio, uel prope degentes, quibus asterismi Zodiaci plurima sunt uerticalia, et quorum uerticibus incubuit haec maxima synodus, non dominatur caeteris? cur potius fixae, quae longissime a nobis distant, et non planetae potius, qui propius ad nos feruntur afficiunt uertices locorum? Quamuis ergo planetae incedentes super uerticem in qualitatibus elementorum magis operentur, non tamen in illis, quae a crasi elementorum minime pendent, nisi forsan in regionibus aptis, et in illis locis, in quibus homines degunt, qui ad aliorum regimen tanquam prudentiores sunt idonei, cuiusmodi sunt tantum regiones temperatae non intemperatae in calore, uel nimio frigore, illae enim timiditatem, haec feritatem largiuntur, quarum neutra ad dominia apte administranda ~~non~~ sufficit. Hinc fit, ut populi Scitarum solum Europam deuastauerint, non longo temporis tractu pedem fixerint. Si autem teste sacra pagina ab

aquilone

-panditur omne malum super habitatores terræ, ut etiam semper experimento comprobatum fuit, quomodo ab his neque pax, uel Sabbatismus expectari debet. ut propterea omnia decreta huius maximj congressus ad illas barbaras nationes deuoluantur. Accedit Scitas uel Moschouitas cum portionē tantum minorem in Europa possideant, potiorem, et ampliorem in Asia, ad ~~triq~~ trigonum aereum tantum attinere, non ad igneum, multo magis Iberos, quorum regio ~~tota~~ est in Asia. Isti igitur sub hac coniunctione, populorumq. Europæ arma magis timere debent, quam nos illorum rabiem, et furorem, cum trigonus aereus uigente coniunctione superiorum celebrata in trigono igneo, contra Europam nihil possit. Superest Suetia, et Dania aliiq; confines, qui tamen tanti non sunt, ut per se soli, Europā deuastare ualeant, sed potius, si quis illis recté utatur, ad maxima quæquæ expedienda prompti erunt.

Cum igitur constet in hoc congressu, post illorum euersionem, qui pacem, et ueram concordiam perturbant in Europa, ueram religionem excitandam, repurgandam, impietates omnes esse auferendas, concordiam inter principes esse orituram, ac per unum omnia esse unienda, et conseruanda: ex aliaq; parte etiam colligatur, ex reuelationibus, et oraculis, quendam Gallorum Regem, infideles profligaturum, Christi sepulcrum purgaturū, omnia ad ueram pacem traducturum, nec hæc decreta, ut poté maxima, ad alias posse futuras superiorum maximas coniunctiones in aliis trigonis, aereis, terreis, aqueis rité de-

Decreta maximæ & igneæ ad solos spectant Gallos, et ipsorumq. regem.

mandari

uelint, nolint, omnes recte sentientes coguntur dicere, decretu huius maximæ igneæ coniunctionis ad Gallos, eorumq; Regem attinere. Id ego salua semper meliori, et saniori censura, credo, et uerum absq; adulatione esse profiteor.

Oraculum Sibyllæ miperrimum Tiburtinæ non respiat Hispanos, et uerba eius aliqua declarantur.

De Sibyllæ uero Tiburtinæ oraculo tempore Gemmæ Frisij reperto, cuius ad longum meminit Tyco pag. suor. Progys. 812. longa esset decertatio, quæ nouum opus desideraret, hac autem in re id tantum assero, per Iberos quorũ illa mentionem habet, Hispanos non posse intelligi. cum illa dicat, supra Iberos sydus orituru ad magnam Septentrionis domum, Hispania uero potius ad Meridiem quam ad Septentrionem uergit. Deinde cum Sibylla ibidem subiungit, per uaria bella, occasione interregni esse belligerandum, tempora præsentia exprimi, in quibus de Imperio dimicatur, occasione ueri interregni [nam electio Cæsaris dubia est]. Etcum asserit ipsa, tandem uictoriam reportaturum progeniem auiti sanguinis, non intelligit descendentes Austriacos, sed potius Gallorum Regem, qui est propago auiti sanguinis, ex enim illis regibus ortum habet, qui olim iuste, et legittime non Tirannice imperium tenuere. Id ego credo, quod inter reuelationes habetur superius adductas. Ecce Leo Gallus obuiabit aquilæ, et feriet caput ipsius, et erit bellum immensũ, et mors ualida. ecce bella præsentia. Vincentius etiam asserit, cessaturum in gente acra unctionem sacram .i. imperium. Ex Astrologicis etiam constat, Imperium esse prope finem, nam et anni Hebdomatici, quos Plato Regnis et Rebuspublicis assignat, sunt pene completi.

Non ergo

Non ergo Sibylla potuit intelligere uictoriam apud Austriacos futuram, nam nulla imperij tunc fieret mutatio, sed potius confirmatio.

Hæc sunt quæ olim scriptis mandaram de expositione trigoni ignei, eaq. cuidam Petro Lagardo Gallo transcribenda, et Tuæ Maiestati Rex Christianissime LUDOVICE perferenda tradidi, quæ an allata fuerint, et quid de illo Lagardo actum fuerit prorsus ignoro. Hæc eadem á me per Fratrem Franciscum ab Andignesio Theologũ Parisiensẽ, et prædicatorẽ regiũ ordinis minorỹ observantium tuæ Maiestatis iussu repetuntur, et efflagitantur: ut ex epistola eiusdem ad me transmissa sub die 15. Augusti 1638. constare potest, quæ lubens tuæ Maiestati legenda humiliter mitto, et tuæ censuræ, et præcipuè Theologorỹ Parisiensium in hoc opusculo contenta omnia, subijcio: Humiliter á tua Maiestate exposcendo, ne opusculum hoc euulgetur, uel Typis unquam mandetur, nam si euulgaretur, timeo futurum, ne innumeræ lites, et iurgia in me excitarentur, quibus permotus in Gallias proficisci cogerer, id autem mihi permolestum foret, qui aduersa corporis ualetudine semper crucior, et ob uiolentas ab Hispanis bonorỹ meorỹ. depredationes etiam egestate premor. Me autem, meaq. omnia, Maiestati tuæ dico, et sacro, et sub tua protectione colloco, qui te Regem iustissimum, et inuictissimũ, ut omnes Parmæ norunt, semper coluerim, ueneraverim, ad miraverim.

Huius libelli qui Regi dicatur cum auctore prætenti infortunium.

Sic te Deus in multos annos ad totius Christianæ Reipub-
licæ utilitatem incolumem, et victoriosum præstet.



B Sta G

